



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De Sanctis Martyribus Theogene, Primo, Cyrino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

Luc. 23. 28

tibus ait: Nolite flere super me, sed flete super Dei inimicos, qui in Christianos continuo grassantur. Ipsos, inquam, flete, qui ignem nobis parant, sibi met gehennæ incendia, iramque in die iræ thesaurizantes. Desinite flere et affligere cor meum. Ego enim non semel tantum mori paratus sum propter nomen Domini Jesu, sed etiam millies si fieri posset. Aliis vero, qui Christum ore negare adhortabantur, respondit: Lingua quidem, quam Christi beneficio retineo, adduci non possum, ut suum neget auctorem. Corde namque credimus ad justitiam, ore vero confitemur ad salutem. Num militaris ordo desperatam habet salutem? Nullusne Centurio pius? Recordor primi Centurionis, qui cruci Salvatoris assistens, ejus divinitatem per prodigia facta cognoscens, non est veritus, adhuc Judæis furentibus in cæde, nomen ejus palam fateri. Quod enim animo sensit, id ore subito manifestavit: Vere Dei filius erat iste. Alius item Centurio, Christum adhuc in carne existentem, Deum et Regem virtutum esse novit, qui posset solo verbo opem suam per ministros spiritus egentibus adferre: cujus et fidem Dominus Israel univervo prætulit. Cornelius item Centurio Angelum Domini videre, et per Petrum salvus fieri meruit, cujus Dominus preces, simul et elemosynas respexit. Horum igitur Centurionum libenter discipulus et imitator esse cupio.

Matth. 27. 34.
Matth. 8.

Act. 10.

Præclare ea
refutat.

Matth. 10. 33.

14 Negem ego Deum meum in cujus cultu sum educatus? Nonne horresceret cælum superne? nonne obtenebrescerent propter me sidera? An vero me tellus ullatenus sustineret? Nolite errare. Deus nequam irrideri potest. Ex ore nostro nos judicat. Ex nostris, inquam, verbis nos servat et damnat. Nonne tremendam Domini sententiam audivistis: Qui me negabit coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo, qui in cælis est? Mihi consulitis, ut Deum nosse dissimulem? Quamobrem? Ut vitam prorogem? mortem differam? dies adjiciam? At supernæ vitæ longævus perdam annos. An ut corporis cruciatus effugiam? At sic non videbo bona justorum. Nam iri perditum dedita opera, et fraude ac dolo sævas tartari penas mercari, manifesta insania est. Vobis igitur consulo: si male sapitis, sapientiam ac veritatem discite. Si vero dissimulatis, temporique obsequimini; vos hortor rogoque relicto mendacio, vera loquamini. Dicite, quoniam Dominus noster Jesus Christus in

gloria est Dei Patris. Nam hanc vocem emittet lingua, quando in nomine Jesu omne genuflectetur, cælestium, terrestrium, et infernorum. Omnes profecto mortales sunt homines, martyres vero pauci. Ne expectemus ut mortui fiamus, sed a vita ad vitam transeamus. Quid naturalem mortem prætolamini? infructuosa est, nullius quæstus, communis brutis et hominibus. Quicumque enim nati sunt, aut senio tabescunt, aut ægritudine corporis resolvuntur, aut violento improvisoque casu aliquo concidunt. Quando igitur omnino semel e vita migrandum est, martyrium pro Christi nomine, ut semper vivatis, alacriter assumite, ac vitæ, quam omnino relinquere oportet, ne parcite. Sit pro necessitate voluntas. Quamquam etiamsi sempiterna essent terrena ista, nihilominus sic quoque pro cælestibus commutanda essent. Verum quoniam fluxa, fragiliaque sunt, et illorum comparatione magnopere indigna; quis furor in his invigilare, et illorum studio spem illam beatam, credentibus repositam, negligere?

PER S. BASIL.

Adhortatio ad
martyrium.

§ V. *Generose pro Christo moritur.*

Hæc ubi dixit Christi miles, crucis se signo communit, et animi magna constantia, vultu intrepido, colore nusquam mutato, ad supplicium hilaris contendit: ubi tantam cordis præ se ferebat alacritatem, ut non lictorum, sed Angelorum manibus se committere videretur, qui subito post interitum, velut olim Lazarum, sublimem eum in cælum deferrent. Ad hæc tantus illius populi clamor ac tumultus est factus, ut vel tonante cælo nunquam similis sit auditus.

Crucis si-
gnum.

Gordii cædes
populi acclu-
matio.

16 Hoc igitur hujus præclari martyrii certamen fuit. Hoc hodierna dies spectaculum vidit: quod proculdubio tale est, ut nec temporis diuturnitas unquam abolere, nec longæ consuetudinis fastidium tollere, nec aliud quippiam quamvis magnum exuperare valeat. Nam quemadmodum solem quanto magis adspicimus, tanto magis eum admiramur, nec ullo modo assiduitate vilescit; sic et hujus viri sanctissimi memoria, quo majori eam temporis spatio retinemus, eo recentior in nostris animis floret. In memoria enim æterna justus erit: in terris quidem, dum terra durabit; in cælis vero apud æquum et altissimum judicem, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM; cui honor et imperium in æterna sæcula, Amen.

Æterna Mar-
tyris memo-
ria.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

THEOGENE, PRIMO, CYRINO.

SUB LICINIO,
III JAN.

Sanctorum horum Martyrum celebris est, ac præcipue Theogenis, in fastis Ecclesiasticis memoria in Janu. Martyrologium S. Hieronymi: In Hellesponto, civitate Paræthia, Cirici, Primi, Theogenis. ms. vetustissimum monasterii Rhinowiensis: In Hellesponto Cirici, Primi. Martyrologium Romanum: In Hellesponto sanctorum Martyrum Cyrini, Primi et Theogenis. Eadem Usuardus, nisi quod pro Cyrino Cyricum habet; ms. domus S. Cæciliae Leidæ Tiricum. At plurima mss. exemplaria, et quædam excusa, Diogenem pro Theogene, Menæa Theagenem.

Beda et Ba-
banus emen-
dati.

2 Beda: Et natale S. Theogenis Martyris, et S. Petri Martyris, in Tomis civitate natale S. Filii Episcopi, qui post alia tormenta in mare est mersus. Transposita sunt hæc. Lege: In Tomis civitate natale S. Theogenis Martyris, filii Episcopi, etc., et Petri Martyris. Sic et Hrabanus: In Tomis civitate natalis Titii Episcopi (imo Theogenis filii Episcopi) qui sub Licinio inter tyrones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem, carcere mancipatus, missus in cippo est, donec relatione esset responsus: dimerso-
que in mare delato corpore ejus in littore, a religio-

sissimis viris depositum est in villa Amandi religiosi viri, ubi fiunt curationes magnæ. ms. Martyrolog. Ecclesie S. Lamberti Leodii: In Hellesponto sanctorum Martyrum Cirici, Primi, et Diogenis, eratque recentiori manu adscriptum: qui sub tempore Juliani Imperatoris gladio martyrium compleverunt.

3 Martyrologium Usuardi Colonie editum auctius anno 1490. Item in Cyzico Hellesponti passio S. Diogenis Martyris sub Licinio Rege: qui post multas passiones tandem in mare projectus, a fidelibus honorifice sepelitur. ms. Florarium SS. In Hellesponto SS. Martyrum Cyrici, Primi et Diogenis. Passio S. Theogenis Martyris, qui cum militare nollet, palis fustibus cæditur: postea in carcerem mittitur, et a Domino confortatur. Tandem submergio adjudicatus, cum oraret per tres horas, facta est lux magna super eum, cujus fulgore nautarum et militum oculi sunt excæcati: sicque in mare præcipitatus illustre martyrium consummavit. Quod hic dicitur nautarum oculi excæcati, idem quoque habet Martyrologium Germanicum, atque visum deinde a sancto Martyre illis restitutum. Petrus de Natalibus lib. 2, cap. 41, ait postquam

postquam ad Christi fidem conversi fuerunt, et baptismum susceperunt post dies novem, visum recuperasse. In Actis solum dicuntur excæcati ne viderent Angelicam turbam, id est perstricti ac vehementer percussi.

4 Maurolycus: Apud Cyzicum in Hellesponto sanctorum Martyrum Cyriaci, Primi, et Theogenis Martyris, qui sub Licinio palis quatuor alligatus, cæsus, et in mare mersus est. Eadem fere Galesinius, qui tamen fallitur dum in Notis ait passos circa annum Christi cclvi.

Alius Theogenes 26 Janu. alius 3 Octobr.

5 Alius videtur Theogenes, cujus Hippone Regio exstabat basilica, de quo xxvi Januarii agemus. Alius item qui in Menologio et Menæis in Octobr. refertur, diciturque ignis supplicio extinctus.

S. Theogenes filius Episcopi, Parisi captus.

6 Menæa Theogenem in Januarii referunt his verbis: Eodem die sancti Hieromartyris Theogenis. Hic Episcopus erat ad Parium Hellesponti. Adductus vero ad Tribunal Zelicinthium, Christumque Deum professus, fustibus atrociter cæditur: deinde victus in altum spargitur, ubi certaminis curriculum absolvit, ubi pro ὄστως ἦν Ἐπισκοπος. Hic erat Episcopus; suspicabatur Rosweygdus legendum ἦν Ἐπισκοπος scilicet ὄστως, id est, erat Episcopi filius. Est vero Parium urbs Asiæ ad Hellespontum; unde fortassis Paretia, sive Diæcesis, sive Præfectura, in qua eum martyrium subiisse refert Martyrologium S. Hieronymi.

7 Eodem quoque die in Januarii eum habet Notkerus, sed mendose Philum Episcopum appellans, pro filio Episcopi, his verbis: Item Tomis Phili Episcopi: qui sub Licinio Cæsare inter tyrones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem, et diu in carcere maceratus, et in cippo missus, deinde in mare demersus, martyrium consummavit. Cujus corpus ad litus delatum, et a religiosis viris depositum magnis coruscat virtutibus.

8 in Januarii eundem referunt, qui et hic citati Hrabanus, Notkerus, ms. Martyrologium monasterii S. Maximini: Nativitas Theogenis Martyris, qui sub Licinio Cæsare per Zelycentium (Hrab. Telicentium, Notker. Licentium) Tribunal passionem complevit in Hellesponto. Primo inter quatuor columnas tensus, fustibus cæsus est: deinde in carcerem missus est, ut ibi fame interiret: sed Domini pietate invisibili cibo ibi per xl dies pastus, in laudibus Dei assidue manebat. Ad ultimum vero in mare missus martyrizatus est (Hrab. et Notker. martyrizavit.) Quem Eutychus et Eustochius et Zoticus (Hrab. Zozius) atque Germanus (deest hic Notkero) tollentes de mari miserunt in loculum, et sepelierunt in foro Hellesponti. Maurolycus quoque eodem die: Apud Cyzicum in Hellesponto Theogenis et sociorum, de quibus pridie. Quarto quoque eos refert Petrus de Natalibus supra citatus.

Acta hæc unde descripta.

9 Acta S. Theogenis descripsi ex vetusto codice manu exarato Imperialis monasterii S. Maximini, et contuli cum ms. S. Mariæ de Ripatorio, Jonino Mombritio, Agonibus Martyrum excusis, ms. Ecclesiæ S. Martini Ultrajecti. Eadem refert Vincentius in speculo lib. 13, cap. 60.

ACTA.

MULTI Martyres vicerunt diabolom, et omnes adinventiones ejus in nomine Domini Jesu Christi, qui coronavit eos; inter quos annumerare dignatus est Theogenem beatissimum Martyrem, qui sic irrisum a vicit inimicum. Tempore enim Licinii paganissimi Tyranni comprehensus est in Phrygia, cum esset Episcopi filius, et perductus est ad legionem quæ dicitur Secunda Trajana, ad Tribunal b Zilicentium, et Præpositum Possidonium, quæ legio consistebat in Zyzico, quæ est prima Hellesponti; et cogebatur militare a Tribuno Zilicentio et Præposito Possidonio. Ille autem miles fidelissimus veri Dei, plenus Spiritu sancto, c constanter in medio legionis dixit: Ego Chri-

a ms. S. Max. habuit. Theogenes capitur: cogitur Licinio militare. b al. Zylieinium, Græc. Ζυλικεντιον. c al. stans. Detrectat Tyranno militare.

stianus sum, et milito meo Regi, qui est Rex Regum: illi militans, alii militare non possum. Tribunus Zilicentius dixit: Magis accipe chlamydem et baltheum, et omnia arma felicia, et milita Licinio magno Imperatori. Theogenes dixit: Jam tibi dixi, milito ego meo Regi; alii militare non possum. Tribunus dixit: Non placet tibi Licinius Imperator? Theogenes dixit: Non novi, ego Christianus sum, et non convenit mihi huic sæculo militare, cui abrenuntiavi d: sed neque possum negare Regem esse æternum, cui milito. Tribunus dixit: Ecce isti omnes qui adstant milites, Christiani sunt, et tamen militant. Theogenes dixit. Unusquisque scit quomodo militet, ego etiam novi cui militem Regi.

d addit us. Rip. accipiens fidem. Quidam Christiani Licinio militabant.

2 Tribunus dixit: Numquid Dii spirituales non sunt, tu vero corporalis? Theogenes dixit: Ego qui sunt dii non novi, nisi unum Deum omnipotentem, per Jesum Christum filium ejus. Possidonius Præpositus dixit: Ergo Deus habet filium? Theogenes respondit: Habet filium ex verbo veritatis suæ natum. Tribunus dixit: Possumus eum nosse? Theogenes dixit: Si Deus dederit vobis sensum talem ut cognoscatis eum, poteritis eum videre. Possidonius Præpositus dixit: Et si cognoscamus eum, possumus derelinquere Regem nostrum, et venire ad eum? Theogenes respondit: Si vultis, nihil est quod impediatur vos: præterea si relinquatis tenebras istius mundi, et ad tempus quas habetis dignitates et honores, et veniatis ad Deum vivum, et Regem æternum, et militetis ei, quemadmodum et ego, vivetis in vitam æternam.

Christum Dei filium confitentur.

3 Zilicentius Tribunus irascens quasi leo, et stridens dentibus in eum jussit legionem omni, ut de nocte procederent ad campum foras civitatem: et cum processissent diluculo ad campum, jussit quatuor figi palos, et extendi ibi Beatissimum Theogenem. Cumque ad quatuor palos extensus esset, jussit eum cædi fustibus robustissimis silvestribus, quousque lassarentur Centuriones octo. Tunc Tribunus dixit: Militas, an non? Theogenes dixit: Ego milito Regi Regum, Domino meo Jesu Christo, filio Dei, qui venturus est judicare vivos et mortuos. Tunc nullus erit super terram Rex, neque Princeps, qui possit effugere eum, neque diem iudicii ejus.

Ad quatuor palos extenditur, et fustibus cæditur.

4 Hæc eo dicente, iterum jussit eum Tribunus cædi secundo quasi deliramenta prosequentem. Vapulans Beatissimus Theogenes, hymnum dicebat Deo, et exultabat vultus ejus in gaudio et lætitia magna. Cum autem mutarentur decem et octo Centuriones, et fustes omnes contracti fuissent sicut palea; ille majorem spiritus habens virtutem, gratias agens Deo hymnum dicebat: Benedictus es Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui me dignum habuisti in hanc diem venire, et in hanc lætitaniam perduxisti me servum tuum; et benedictus es Jesus Christus filius tuus Rex cæli et terræ, maris et inferorum, et omnium visibilium et invisibilium. Laudo et glorifico te Domine Deus qui dignum me habuisti pro tuo nomine pati, et collegam sanctorum Martyrum fieri.

Fustes instar palearum comminuti.

5 Hæc eo dicente, existimaverunt Tribunus et Præpositus, quod ipsos rogaret, ut eum dimitterent, et dicunt ei: Vis ergo militare? Theogenes Dei famulus majori voce reclamavit dicens: Prius vobis dixi, et nunc dico, quia Christianus sum, et milito Regi Regum, et non possum desertor esse Domini et Regis mei; vos autem me cogere volentes his pœnis, æternas vobis paratis pœnas. Nam has quas mihi putatis esse pœnas, nihil sunt. Dicit ei Tribunus: Si adhuc nihil sensisti de pœnis, majores erunt quæ sequentur. Theogenes respondit: Ego non patior hæc, neque sentio: et vos mihi nihil potestis facere, nec spiritum meum in Domino Jesu Christo firmatum pro his pœnis contristare. In corpore meo solummodo tu potestatem habes: quemadmodum tu vis

Tormenta omnia contemnit.

crucia

crucia illud, non enim tu poteris me separare a Rege meo. Majora ligna affer, et fortiores adhibe operarios ad me: isti autem, quos habes, infirmi sunt, et nihil mihi possunt facere.

6 Cum hæc dixisset, jussit eum duci in civitatem. Erat autem hora quasi nona, et tetendit eum publice in civitate. Transiens autem ibi Optio legionis, et videns eum dixit: Ubi est Deus tuus, et Rex cui militas? quare non liberat te de istis pœnis? B. Theogenes respondit: Et prius dixi et nunc dico vobis, quoniam istæ penæ in iudicio Regis mei me non sequuntur: quoniam Rex meus et Deus meus defensor mihi est, et liberat me de pœnis istis. Tu autem eum non vides, quoniam cæcus es mente et oculis. Respondit ei Optio: Si haberem potestatem, gladiis frustari te facerem, et projicerem canibus. Qui B. Theogenes dixit: Tu mihi nihil facere potes: sed venient dies post modicum tempus, et tua et Tribuni tui crura frangentur, et corpora vestra a feris et avi- bus consumentur, et omnes ex vobis qui non credunt Regi meo, peribunt. Nam et ipse Rex tuus post modicum concedetur a persequentibus se, et erit vobis magna tribulatio qui illi militatis.

* al. nervo. Extenditur in nervo. Insultat ei Optio legionis.

Prædicat Optionis et Tribuni mortem, et Lucinii cladem.

Quatuor clavus configitur, encandus fame. Apparet ei Christus. * Agones accusi: adfuit illi visitatio Christi per Angelum suum.

Psallenti respondent Angeli.

Cibum oblatum respuit.

7 Talia dicente Theogene, præcepit eum Tribunus in carcerem mitti, et in nervo extendi, et quatuor configi clavus, et signavit ipse carcerem, et dimisit eum, ut illic pœnis et fame moreretur. Ibi autem Theogenes a sancto Spiritu pascebatur. In ipsa autem nocte adstetit ei Dominus dicens: Theogenes convalesce, ego enim tecum sum; non accipias escam neque potum ex his omnibus. Est enim incorruptibilis tibi vita in cælis. Et hæc dicens recessit ab eo. Recedente autem Domino cepit psalmum dicere lætus de Domini repositione: et erant illic respondentes Angeli, quasi populus multus. Tunc custodes cucurrerunt ad ostium carceris, et viderunt ostium clausum et signaculum integrum, et observantes intus viderunt populum multum in albis vestibus psallentes, atque dicentes: Gloria omnipotenti Deo. Timentes autem nuntiaverunt Tribuno.

8 Ille surgens mox ecurrit ad ostium, et inspexit catenam missam, et signaculum integrum: audiens etiam vocem magnam psalmum dicentium cum Theogene. Fecit itaque militum turbam armatam cum scutis stare ante carcerem, et aperiens festinanter carcerem, ingressus est æstimans quod Christiani essent cum Theogene. Intrans autem neminem intus invenit, nisi extensum in nervo psalmum dicentem. Tunc comprehendit Tribunal tremor magnus, et omnem multitudinem militum cum eo; et recluserunt ostium, et recesserunt inde. Tunc Tribunus pœnitens de tali facto, jussit panem et aquam ei dari. Sed Theogenes noluit accipere secundum præceptum Domini quod audierat prius, dicens: Me pascet Rex meus, et accipio ejus annonam quotidie.

9 Et cum mane factum fuisset, misit relationem ad Regem suum Licinium, referens omnia quæ fecerat Theogeni nolenti militare. Rescripsit Licinius, in mare eum mitti, et corpus ejus non colligi. Accipiens autem legationem Tribunus jussit eum in mare mitti. Tunc beatus servus Dei Theogenes, dignus tali sententia ambulavit gaudens in vitam æternam, in quam eum Deus vocavit. Et erat vultus ejus, et omne corpus ejus sanum, quasi a balneo, et non de carcere esset eductus ad lætitiā magnam proficiscens: et exiens de carcere impositus est navi, et perduxerunt eum ad locum, ubi in mare eum præcipitare volebant.

Ex mss.

Præcipitandus in mare, educitur sanus e carcere.

Orans fulgore circumfunditur: adsuntque ei Angeli.

Projicitur in mare.

Nautæ et quidam milites convertuntur.

* Ag. Mar. 40. Monbril. 9.

Tribuno et Optioni jussu Licinii crura franguntur.

* ms. S. Max. Euthasius. ms. Itip. Eustachius. Scipitur S. Theogenes. Claret miraculis.

10 Convocavit autem milites et nautas, rogans ut darent ei spatium donec oraret. Et stans contra Orientem beatus servus Dei elevans manus oravit ferme per horas tres: et ecce illic lux facta est, cujus fulgore oculi nautarum et militum excæcati sunt, ne viderent Angelicam turbam, voces tantum audiebant colloquentes Beatissimo Theogeni, ita ut nautæ timore perterriti, nolent eum mittere in mare. Ille autem adjuravit eos dicens: Quod vobis jussum est, facite, et revertentes in civitatem credite Deo, ut habeatis vitam æternam. Talia eo dicente, miserunt eum in mare.

11 Revertentes autem nautæ in civitatem, renuntiaverunt quæ viderant, et crediderunt Christo, et filii ipsorum, et alii multi ex populo in illa die, et nonnulli ex legione ipsa. Post dies autem sexaginta facta est pugna vehemens contra Licinium: illic ex legione ipsa quicumque non credebant Deum, gladio ceciderunt. Pro quo facto irascens Licinius Imperator eundem Tribunal, et Optionem legionis ipsius duodecimo milliaro a civitate duci, et crura eorum frangi præcepit in exemplum aliarum Legionum, sicut prædixerat beatissimus Martyr.

12 Postquam autem missus est beatissimus Martyr in mare, venerunt fideles fratres, scilicet Eutyches Eustathius, Zoticus, et alii multi ex fratribus, et sustulerunt corpus ejus de littore; erant autem et ipsi fideles, et timentes Deum, et posuerunt corpus ejus in loculo, et pertulerunt nocte, et sepelierunt illud juxta muros civitatis, in villa Adamanti fidelissimi viri in hypogeo. In quo loco nunc magna fiunt mirabilia, et omnium, quacumque teneantur infirmitate, sanantur regritudines. Fecit autem ipse Sanctus in carcere dum sperantur relationes, dies quadraginta, nihil omnino cibi gustans, nec aquam, nec alium potum bibens, habens caelestem gubernationem.

13 Hæc omnia scripta sunt per omnes Ecclesias Dei, in Nicomedia, Bithynia, Heraclea, Cyzico, ut in omnibus annuntietur populis passio sancti Martyris, et sit fortitudo fratrum in Dominica fide. Natalis ejus celebratur in Nonas Januarii, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, Amen.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

CLAUDONE, EUGENE, RHODO, DIOGENIO, EUGENTO, RHODONE, PRIMA.

III JAN.

Martyrologium S. Hieronymi: Et in civitate Tomis Claudonis, Eugenius, Rhodi, trium fratrum Argei, Narcissi et Marcellini pueri Christiani et Diogini, Eugenti, Rhodonis, Primæ. Quæ, ut plurima alia in eo Martyrologio, obscura sunt; fortassis etiam transposita, ut legendum sit: Rhodi, Claudonis, Eugenius. Et in civitate Tomis trium fratrum, etc. An idem Claudon, Eugenius, Rhodus, cum iis, qui mox subduntur, Diogenio, Eugento,

Rhodone? deinde an Christiani conjungendum est cum pueri? an nomen Sancti est? Christianum omitto, donec major mihi lux aliunde affundatur. De Argeo, Narcisso, et Marcellino egimus in Januar. An ceteri cum ipsis passi, an Tomis, an alibi, non est unde coniciam.

Usuardi editio Coloniensis Claudonem habet; sed Claudionem vocat, conjungitque cum Martiale et Cirico, de quibus ante egimus.

DE